Polonia.

1641.

Brosiii Joannis: Sermo habitus in Synodo provinciali Luceoriensi.

Cracoviae. 1641.

SERMO

IOANNIS BROSCII,

Philoſophiæ ac Medicinæ Doctoris,
S. Theol: Baccalaurei, Parochi
Medirecenſis.

HABITVS

In Synodo Prouinciali Luceoriẽſi.

IVSSV

Illuſtriſſ: & Reuerendiſſ: Domini,

D. ANDREÆ GĘBICKI,

Dei & Sedis Apoſtolicæ Gratia

EPISCOPI LVCEORIENSIS.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.
Anno Domini, 1641.

SERMO

R. D. IOANNIS BROSCII, Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, S. Th: Bacalaurei, Parochi Medirecensis.

Messis multa, Operarij pauci. Matth. 9. Luc. 10.

EXpectatus hic dies, & bonis omnibus, ab annis propè viginti, hoc loco exoptatus illuxit, Illustrissime & Reuerendissime PRÆSVL, Admodum Reuerendi Domini Prælati, Canonici, Parochi, cæteriq; Auditores ornatissimi: quo ex latè patente Diæcesi Luceoriensi, à Luce quidem nomen habente, tenebrarum tamen potestate magnâ parte oppressa, flos ex omni cætu Sacerdotum, ad Cathedralem hanc Ecclesiam conuenistis, Consilium in commune collaturi, de pietate, quæ magnâ parte in his oris afflicta, & vix non profligata iacet, in animis hominum, exitiabili opinionum varietate dissectis ac dissolutis, excitanda. Qua de re cùm sermonem instituere conueniat, mihiq; hoc munus impositum sit, vereor magnoperè, vt iustam reprehensionem euitare queam. Paruulus sum in Sanctæ Matris Ecclesiæ, & amplissimæ istius Diœceseos gremio; Fratres mei speciosi & magni, complaceat in illis Dominus. Quæ igitur vel audacia, vel temeritas, in tanto consessu, apud viros, doctrinâ, pietate, & vsu maximarum rerum præstantes, de rebus maximis, verba facere? Non potui rectè Illustrissimi & Reuerendissimi Domini, cuius salutari consilio sumus congregati, Præsulis mei beneficentissimi authoritatem defugere. Quâ fit, vt veniam mihi, à vobis, Patres Admodum Reuerendi, datam iri non disperem. Dicam autem, quàm potero paucissimis, de hoc ipso, quod in Sacro Euangelio audiuistis, Christi Domini dicto: *Messis multa, Operarij pauci.* Neq; hic à me expectetis, vt euoluam omnes Ciceronis arculas, omnia Demosthenis pigmenta, aut Isocratis myrothe-

A cia,

eia: sufficient mihi ex Psalmis & Prophetis Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum; atq; horum interpretibus Sanctis Doctoribus, testimonia: quæ dum illorum verbis breuiter refero, quæso vt me dicentem benignè audiatis.

Quid igitur *Messis?* Cur *Operarij pauci?* Christus Dominus, cuius Pater agricola est, vt ipse inquit, *Ioan: 15.* & qui, Sancto Augustino teste, secundùm id, quod dicit: *Ego & Pater vnum sumus*: & ipse agricola est; circa missionem Apostolorum, vsus est metaphorâ, patribusfamiliâs & Agricolis familiari: *Messis multa, Operarij pauci.* Bis verò legitur vsurpâsse hanc sententiam. Primò quidem, quando Dominus misit duodecim Apostolos in Galilæam, & reliquum Israël, ad prædicandum, vt refert *Matthæus cap: 9.* Erat enim tunc ipse, & præcursor Ioannes tantùm; soli duo, pauci erant, ideò vtraq; faciens vnum, binario in primum perfectum numerum multiplicato, quod etiam Sancti Doctores notant, misit duodecim. Quo numero, sæpè solet in Scripturis Vniuersitas designari, vt ait Beda Venerabilis. Nunc etiam aucturus numerum hunc, vt mitteret Prædicatores in Iudæam, eisdem vsus est verbis: *Luc: 10. Messis multa, Operarij pauci*: significans, etiam numerum Apostolorum, crescente iam fidelium multitudine, paucum, pluresq; Operarios esse necessarios. Assumpsit autem iam nunc, vt in Euangelio audiuistis, septuaginta duos, mystico numero duodenario, in eundem numerum perfectum multiplicato, vt ostenderet multiplicationem istam non esse in alio fundamento collocandam, quàm super Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo IESV, super quo, reliquo sæculorum decursu, multi deuoti Religiosorum Ordines, & sanctæ Societates, magnâ Ecclesiæ vtilitate, fundatæ sunt. Et Messis quidem, ad quam tot operarij mittuntur, variè sumitur in Sacris literis. Nam primò intelligitur pro collectione eorum, quæ seminata sunt: quia igitur olim per primos Patriarchas & Prophetas, seminatæ sunt Iudæorum genti multæ promissiones; ideò in aduentu Christi, Messis erat Iudæorum super quos appropinquabat Regnum Dei, si mens non læua, si cor non obduratum fuisset. Vel etiam Messis, intelligitur

tempus illud, quo Deus redditurus est vnicuiq;, secundùm opera sua: ita S. Paulus dicit: *Qui parce seminat, parce & metet*; & S. Matthæus: *Messis, consumatio sæculi est; Messores autem Angeli.* Vniuersaliter autem Messis accipitur, pro ijs, ad quos mittebantur Apostoli; nempè non solum ad Ciuitates & Oppida Galileæ, verùm vt significantiùs iuxta mentem SS. Doctorum dictum Saluatoris referamus, quia solent Prophetæ, S. Gregorio teste, inspiratione Spiritûs Sancti, omnia tempora, præterita, præsentia, & futura ante oculos habere: Christus Dominus, verus Deus & homo, supremus Prophetarum apex, qui temporum dat tempora, & qui locutus est per os Sanctorum qui à sæculo sunt Prophetarum, qui iureiurando promisit daturum se nobis, iam nunc dicit: Messis multa, Operarij pauci: vt ad hæc quoq; loca, ad hæc tempora referri non immeritò possit, ac omninò debeat. Ergò Metaphoræ sensus est, Numerus eorum qui reducendi sunt ad Ecclesiæ vnitatem, magnus est; numerus verò eorum, per quos credere debent, paucus. Sed antequàm videamus, quàm Messis multa apud nos sit, & quàm Operarij pauci: consideremus quæso, quarum benedictionum Messis tunc instabat Iudæis, & omnibus per Iudæos gentibus. Iam ablatum erat Sceptrum de Iudâ, iuxta Iacobi Patriarchæ Prophetiam; iam propè erat expectatio omnium Gentium; iam complebâtur septuaginta hebdomades, à Daniele prædictæ: Iudæa tamen incredula, quiduis potiùs agebat, quàm vt se præpararet ad repromissiones accipiendas. Quid autem non egit Christus Dominus, vt cæcam illam Synagogam doctrinâ cælesti illuminaret, ad cognitionem visitationis suæ? *Quoties* (inquit cũ lachrymis) *volui congregare vos, sicut gallina congregat pullos suos?* Hoc Sancti, Paulus & Barnabas, constanter Iudæis blasphemâtibus obiecerunt. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium: vt sis in salutem, vsq; ad extremum terræ.* Illa seges demùm votis respõdet auari Agricolæ (vtar Poëtæ verbis:) Cælestis Agricolæ auari, cuius deliciæ sunt, esse cum filijs hominum, qui desiderio desiderat Pascha cum illis manducare, seges est ex Gentibus, Iudæâ reprobatâ. Sed ecce & inter Gentes Messis multa, Operarij pauci.

Videamus enim, quæ Messis in Volhinia, vel vt omnia simul cō-
plectamur, in Polonia, & toto Sclauonico Septentrione. Ait Poëta:
Hinc mouet Oceanus, illinc Germania bellum. Simile quid, quo-
cunq; nos conuerterimus, cernere licet; Ab hac parte horren-
dum Schisma, Græcâ fide, hoc est, suspectâ & fallaci propagatur:
quæ qualis sit, an Bogomiliana, de qua Euthymius, & alij; an A-
riana, vel Nestoriana, an ex Caluini, aliorumq; hæresiarcharū,
turbidis fæcibus commista vix, constat.

Terra antiqua, potens armis, atq; vbere glebæ,

Volhinia, excipit iam in *Kisielino* Raccouienses quisquilias, ex
Cracouiensi Diœcesi laudabiliter eiectas, vt Arrij, Socini, Ochini,
aliorumq; toto mūdo damnatos errores, & impietates, ab inimi-
co superseminatæ, hic excrescant. Non satis erat mali, à Græcorū
inuictâ, & rationi non cedente, pertinaciâ: coniungendæ fuerunt
aliæ infernales turmæ; vt Hæretici, licet inter se discordes sint, in
oppugnanda tamen Ecclesia vnanimes esse solent. At de Græ-
cis mox plura dicentur. Ab alia parte, Lesna, monstrum infor-
mè quoddam fouet, ex tempestate Bohemicâ appulsum ad fines
Maioris Poloniæ, in qua olim ante Ducentos annos, Hussitica
pestis exurebatur. Aiunt quidem illi: NIHIL HIC LATERE
MONSTRI: At scitum illud est Iureconsultorum, Excusatio non
petita, accusatio est manifesta. Suspectum enim est, dum aiunt:
Finis non nisi in fine conspicietur, cùm omnes artium Scriptores
in Artium vestibulo, finem Artis supremum soleant proponere:
vt Grammatica, est Ars loquendi: Rhetorica, Ars benedicendi:
atq; ad hos fines, omnia earundem Artium præcepta referantur.
Et primò quidem Ianuam Linguæ Latinæ, à bonis Doctoribus ac-
ceptam, suoq; arbitrio immutatam proponebant, vt singuli in-
grederentur: nunc attendite, quo progrediantur, nescio cuius æ-
dificij portarum, vt iam cateruæ ingrediantur, architecti: Ecce
iam Sinonica fallacia exprimitur: Didactica magna, siue
certus & exquisitus modus, per omnes alicuius Christiani
Regni communitates, Oppida & vicos, tales erigendi
Scholas, vt omnis vtriusq; sexus iuuentus, nemine vsquàm
neglecto, literis informari, moribus expoliri, pietate imbui,

eaq;

eaq; ratione intrà pubertatis annos, ad omnia quæ præsen-
tis & futuræ vitæ sunt, instrui possit. Homo vagus & ex-
torris, non habet vbi pedem figat, & iam Regna vult occupare.
Colligit ad suas Scholas vtriusq; sexûs iuuētutē. Vtriusq; sexus?
Redibit ergò quod sperat ille, tacēs, nos autē veremur & timemꝰ,
impurissima Adamitarum Secta, ex Bohemia & Morauia magno
labore eiecta. Quanta vastitas agrorum, in Maiore Polonia cō-
spicietur? quæ magno sumptu Rataios fouet, vt campi excolan-
tur; maiore autem impensa, illos foueri oportebit, si ad Comema-
nas, hoc est fumosas portas (vereor ne cum Turcogræcis sentiat)
promiscua vtriusq; sexus iuuentutis multitudo confluet. Quis
verò fila trahet? At nulla mulier honesta, vt certò mihi persua-
deo, filias suas ad has promiscuæ colluuiei Scholas mittet: cùm
& in benè moratis Regionibus, sæculares velo obducantur, ne
prospectui prophano pateant; Religiosæ autem & Deo conse-
cratæ, claustris contineantur. Sed Hæresis iam per Germaniā,
aliasq; Regiones, Claustra omnia cum Ecclesijs perfregit, & im-
purissimo Luthero Duce violauit. Optat verò & obtestatur
(verba ipsius refero) Sapientiæ Studia non ampliùs Latinis so-
lùm literis tradi, vt Scholis incarcerata detineantur, quemadmo-
dum hactenus, summò vulgi vulgariumq; linguarum contemptu
& iniuriâ factū est, sed vt cuiq; genti suomet sermone omnia tra-
dantur. Hoc igitur agit, vt exclusâ linguâ Latinâ, qua Ianuam
Subdolus artifex exposuit, sua quilibet vernaculâ linguâ artes
tractet: quod dum fiet, mera regnabit barbaries. Tres illæ lin-
guæ, Hæbraica, Græca, & Latina, quas Christus Dominus San-
guine suo consecrauit, & quibus Titulos suos in Cruce inscribi vo-
luit, quonam pacto conseruabuntur? At hoc iam olim Serenissi-
mi Regis Poloniæ STEPHANI Theologus, Stanislaus Socoloui-
us, cùm cerneret Sacra mystica, magna, ab hominibus animali-
bus prophanari, vulgusq; ad vulgaria reuocare omnia, in Iusto
Ioseph prospiciebat. His, inquit, tribus linguis, tanquam mun-
dissimis vasis, confractis aut neglectis, omnem eruditionem,
omnem antiquitatem prophanari, atq; aboleri necesse erit. Quod
non ita pridem à maioribus nostris probatum fuit: & ne iterum
posteritas probet, vehementer metuendum est. Iam enim à lō-

gè pro-

gè prospicio nubes ac nebulas quasdam, quæ magnam stragem, & calamitatem huic Segeti minari videntur, nisi iustis præmijs hominum ingenia, studium, atq; industria, excitentur. Hactenus Socolouius. At nouus iste Scholarcha, quàm varius & inconstãs est? quàm sese partes versat in omnes? nunc ait: Quidquid difficultatum & molestiæ adferunt Scholastica studia, eas humeris suis Præceptores sustineant: discipulis nihil, præter imitandi auiditatem facilitatemq; relinquentes. Hæc sunt crustula blandi Doctoris. Deinde verò ait: Didacticæ nostræ Prora & Puppis esto, inuestigare modum quo docentes minùs doceant, discentes verò plus discant; Scholæ minùs habeant strepitûs, nauseæ, vani laboris, plus autem otij, deliciarum, solidique profectus: Respublica Christiana, minùs tenebrarum, confusionis, dissidiorum; plus lucis, ordinis, pacis, tranquillitatis. Videte quam altè à Scholæ ferulis, ad Reipublicæ fastigia conscendit? & ne quid sua authoritate facere videatur, ecce nescio quorum Antistitum & Patronorum voluntatem & iussum prætendit. Scripta hæc sunt, inquit, à nobis, & descripta typis Antistitum, & Patronorum Ecclesiarum huius loci (post solennem nuper, solenni in Conuentu factam, deliberationem) voluntate & iussu; non vt irent in publicum, sed vt communicarentur illis quorum interest. Quorum Antistitum & Patronorum? vno verbo dixisset Hæreticorum. Viueres nunc Andrea de Bnin, Episcope Posnaniensis! Quid autem istud est, non vt irent in publicum, nisi clandestinè? vt ijs communicarentur, qui vel essent coniurati, vel abduci specie vtilitatis publicæ incauti possent, specioso illo, vt, παντες, παντα, παντως, omnes, omnia, omninò, sciant? Ita serpens, in Paradiso: *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* At Christus Dominus, æterna sapientia, in sua Schola dicit: *Qui potest capere, capiat.* Et S. Paulus ait: Dona dari vnicuiq; iuxta mensuram. Hæc ideò commemoraui prolixiùs, quòd iam spargi fumosam istam Scholarum rationem per Volhiniam, à viris fide dignis intellexi. At nos Dei Vnius & Trini, & Cælitum omnium opem, voce Ecclesiæ imploremus: *Gentem auferte perfidam, credentium de finibus.* Venio iam ad Causas: Cur *Operarij pauci?* Causæ duplices sunt: Internæ, & Externæ. De Internis, copiosè iam heri, ab

Illustris-

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino, qui huic Sacro Conuentui præest, audiuimus. Vtinam ea firmiter cordibus nostris inhæreant, vt fructus condignos Ecclesiæ Dei, his admonitionibus verè paternis excitati, adferre queamus. Nolo igitur prolixè Causas internas referre; vnâ tantùm eaq; breui contentus. *Quod sis, esse velis.* Sacerdos es: fac igitur ea quæ Sacerdotem decent. Sacerdotium est Ordinis Sacramentum: oportet ergò, vt quilibet nostrum sit ordinatus. Ordo autem, in rerum dispositione apta, & concinnâ consistit: itaq; prouidendum est, vt actionum nostrarum Sacerdotalium series, publicè & priuatim, ad Dei laudẽ disponatur. Isto modo fiet vt populus à nobis efficaciter doceatur. Communiter autem, quales sunt Doctores, tales fient Auditores, & communi sententiâ, *Plus exempla nocent, quàm præcepta docent.* Ante omnia verò, doctrinæ, vita conformis sit. Nescit enim vulgus Metaphysicas distinctiones; vt vitia quidem Sacerdotum detestetur, Sacerdotes autem ipsos diligat, & honore duplici prosequatur. Disputationes de Fide, ad mensam & pocula, cum Hæreticis caueamus: si quid tale occurrat, in templo cũ inuocatione Spiritûs Sancti, cum omni reuerentiâ, in habitu decenti, cum superpelicio fiat; si quid difficilè obijciatur, illud Medicorum vsurpemus: *Si interrogatus velociter respondeas, dubitandus es:* ac genibus in terram procumbentibus, Spiritûs Sancti gratiam cælitùs inuocemus. Sermo omnis ad populum, sit ex Sacra Scriptura, ex Sanctis Doctoribus, ex Ecclesiæ Catholicæ Historijs, & Conciliorum Sanctionibus: ita fiet, vt nobis illud competat Christi Domini dictum: *Non vos estis qui loquimini.* Præter hæc verè, simplicitas antiqua Sacerdotalis retineatur: Adsint tamen Serpentini oculi, in columbino corde; iuxta illud Christi Domini: *Estote prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut columbæ:* ad perspiciendas mundi & Hæreticorum fallacias, quæ fucatâ specie blandiuntur, & incautos decipiunt. Quilibet autem vocationem suam inspiciat, & stationem non deserat. Presbyter es? attende ne quid puerile, ne quid iuuenili affectu committas. Canonicus es? ergò regularis. Canon enim, Regula est. Vide igitur ne quid hiet, ne quid protuberet, ne quid deliret amussis. Monachus es? sede solitarius, & tace; iuxta Hieremiam Prophetam.

Plura

Plura qui volet, velle autem omninò debet; reperiet in Sermone Reuerendissimi Domini Martini Cromeri, quem ante propè Cẽtum annos, habuit in Synodo Petricouiensi. Dignus est, vt ab omnibus Sacerdotibus, vel quolibet die, legatur. Sed iam venio ad Causas Externas, quæ possent inueniri plurimæ: sed nunc sufficient duæ Prima est, Præcipitatio hæreditatis Domini. Ait prudens illa mulier, in libris Regum: *Quare præcipitas hæreditatem Domini?* Dos Ecclesiastica, isto nomine solet à Sanctis Doctoribus appellari, firmata non lege humanâ, quæ exceptionem aliquando patitur, ac si erronea sit emendari & corrigi potest; sed voce ipsius Christi Domini, cuius verba, cœlo ac terrâ transeuntibus, nunquàm præteribunt: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Centum iam anni complentur, cùm vno anno locustæ, altero pestis, tertio ingens siccitas & fames, per Poloniæ Regnum grassarentur. Memoriæ proditum est Annalibus fide dignissimis, Leonardum olim Ecclesiasten ad Diuæ Virginis Cracouiensem, ac deindè Episcopum Camenecensem, cùm de istâ præcipitatione hæreditatis Domini concionaretur, illud Nucilli ad Merugos magnâ cum grauitate, vsurpâsse. Quæritis inter vos, vnde fames publica, & tot incommoda? Non sunt hæc vitia terrarum: Nihil imputemus astris: nec rubigo segetibus obfuit: nec grando fruges necauit. Sacrilegio annus exaruit. Necesse enim erat omnibus perire, quod religionibus negabatur. Denegatur autem sub largissimis, quod parcissimi præstiterunt. Non mirum erit, si totæ familiæ exscindentur, quemadmodum Achab cum vxore, filijs, & consiliarijs, ob iniurias Nabotho & alijs factas, excisus est. Placent vobis Hæreticorum, qui iam circum omnia fora, omnia templa grassantur, consilia; hoc est, verba præcipitationis: Audite Dauidis oraculum: *Dilexisti verba præcipitationis, lingua dolosa; propterea Deus eruet te, euellet te, emigrabit te, & radicem tuam de terra viuentium.* At iam arbitrij & compositionis remedium adhibetur. Si quidem id fiat ex corde syncero, cum integritate, & sanctâ obseruatione illius: *Reddite quæ Dei, Deo: Ecce quam bonum & iucundum, habitare fratres in vnum:* at si molliti sunt sermones, sicut oleum, & ipsi sunt iacula; vereor ne compositio talis fiat, qualem olim Pilatus, inter Christum Dominum & Iudæos, componere conabatur. Seorsim cum Christo Pilatus ait: *Gens tua & Pontifices tui, tradiderunt te mihi: Potestatem habeo dimittendi te:* Et alia. Separatim deinde cum Iudæis: *Nullam causam mortis, in illo inuenio.* Flagellatum, vel quæ Pilati nullam causam inuenientis impudentia est; *Emendatum dimittam.* Talem olim compositionem audiente, Serenissimo Rege STEPHANO, Feriâ Sextâ magnâ, Stanislaus Socolouius, de sorte & hæreditate Christi Domini, Ecclesiasticis in quâ bonis, exposuit: nempè vt ea quæ reddita non sunt, debitori condonentur: in futurum aliquid promittatur. Hæc nimirum Pilati formula est: *Emendatum dimittam.* Sed qui tradit Christum innocentem ad flagellandum: tradet paulò post ad crucifigendum. Qui enim stulto & erranti populo concedit parua, concedet deinceps & magna. At ne isti raptores, & iniusti hæreditatis Domini vsurpatores, hac ratione ditescent: fiet simile illius, quod sanitatis corporum humanorum custodes, Hyppocrates & Galenus solent frequenter vsurpare: *Impura corpora quò magis nutries, eò magis lædes.* Vel vt Sanctus Augustinus ait: nouem partes peribunt, vix decima sola remanebit. Nos verò feramus patienter, memores nostræ vocationis ac diuinæ prorsus illius doctrinæ: Catholicorum est, sed præcipuè Sacerdotum bona agere, mala pati: per spinas peruenire ad rosas; per sentes ad vuas; Non decet esse membrum delicatum, sub spinis coronato capite. Huius autem præcipitationis sortis & hæreditatis Domini, effectus præclarè describitur, à Socolouio, ad Reuerendissimũ Dominum Archiepiscopum Gnesnensem, Stanislaum Carncouium: Non Altare Sacerdotem: non Cathedra Doctorem: non chorus Cantorem: non Schola Magistrum: non Aula ipsa Scribam: non Respublica sua ornamenta habebit; nam & isti catelli de huius sponsæ micis in hac Reipublicæ paupertate, viuere, atq; educari solent. Sed & isti ipsi, sorte Domini non ampliùs ditabũtur, ex obscurisq; clari euadent. Sed de his nunc satis. Altera Causa paucitatis Operariorum est, Missio iuuentutis ad Scholas Hæreticorum: quâ peste an aliqua grauior & pestilentior sit, non video. Vidit hoc olim prudentissimus Rex, Pater Patriæ, SIGISMVNDVS Primus, qui publico edicto vetuit, ne ad Scholas Vittebergenses incolarum Regni Poloniæ iuuentus mitteretur.

Fassus est hoc ipsum summo cum dolore, ad Sanctos Patres in Oecumenico Concilio Tridentino congregatos, Stanislaus Orichouius, Ruthenus, multis annis, siliquis porcorum Saxonicorum, Lutheri, & Melanthonis pastus. Viderunt hoc idem multi Catholicæ veritatis assertores zelantissimi, Stanislaus Hosius, Stanislaus Carncouius, & alij, qui passim Scholas & Collegia Catholica, vbi necessitas tunc exigebat, erexerunt. Absq; illis sanctæ memoriæ Viris, sic enim nominandi sunt, quid iam veræ & Catholicæ Romanæ Ecclesiæ fidei, in Polonia reliquum fuisset? Docentur, vt à nonnullis iactari audio, Humaniores literæ apud Hæreticos: Sed vtinam diuiniores, iuxta Sanctorum Patrum normã, doceantur. Discent ibi simul cum Grammaticâ Hæreticorum, vt illi solent transire de genere in genus, declinare à Catholica Ecclesia. Discent cõiugare omnes damnatos errores; vt cum diuisim non valeant, coniunctim possint Catholicam veritatem oppugnare. Discent oppressos, ac apud inferos iam sepultos, Hæreticorum Syllogismos, à quibus olim Sanctorum Patrum doctrinâ, pietate, orationibus, ieiunijs, ac bonis exemplis Ecclesia liberata est: illos autem antiquos Catholicam religionem conseruandi modos, in Hæreticorum Scholis nunquam discent. Vetus enim illa, ad Ecclesiam & Rempublicam accomodata, ratio docendi, fuit duobus versiculis comprehensa. Quatuor in templo Clerus, sciat esse tenenda. Grammaticam, cantare, Calendas, & Canonũ Ius. Quod ad Grammaticam attinet, est per Dei gratiam, vnde illam discamus: tot Collegijs, per totum Poloniæ Regnum fundatis. Vnum illud solùm aduertendum est: vt initium sapientiæ, sit timor Domini. Laudabile olim institutum fuit, à temporibus adhuc Diui Adalberti Bohemorum, Vngarorum, Polonorum, & Prussorum, ac omnium Slauinarum gentium, Apostoli, simul Ecclesias & Scholas extruere; hoc est simul pietatem & literas omnibus instillare: quæ sancta Institutio vt conseruetur, non sit Plebanis turpe, ad Scholas inspiciendas, & prudenter ad vsum Ecclesiæ disponendas, descendere. Alterum est, Cantare. Vetus illa ratio canendi chorali cantu, quæ antiquis dicebatur Spondæus, vel Dorius modus, castitatis ac temperantiæ largitor, passim perit & abolетur: inducuntur autem, ebrij sæpè cerebri inuentione, Dactylica tripudia, à grauitate Ecclesiasticâ, prorsus aliena, ac in dies ista succrescunt; vt verissimum sit illud vetus: Musica per Deos perinde ac Lybia semper quotannis nouam quampiam feram parit. Dicebatur olim, Cantores vidi plurimos, Musicos paucissimos: quod Cantoris esset canere; Musici autem per causas, tempori, loco & personis accomodatas, modos attemperare; nũc verò vocum istarum significatio prorsus immutata est. Iam dicũtur Musici, etiam qui Vrsos circumducunt: qui benè & modulatè, ad veterem Gregorianam normam canant, paucissimi sunt. Turbæ olim talium per Scholas vagabantur, classibus distinctæ, vt iuxta cantus cognitionem, vel primi, vel secundi, vel tertij dicerentur: Pulchrum nempè putabatur, si in primis non possent, in secundis saltem, vel tertijs, consistere. Grauissimè monuit Eminentissimus Cardinalis Bellarminus, in Commentario super *Psalmum 32.* vbi ostendit, ex Sancto Benedicto, in sua Regula, Psalmodiam esse opus Dei, & ideò cæteris operibus anteponendum: tùm ex Sancto Bernardo, qui *Sermone 47. in Cantica*, monet, vt purè semper, & strenuè, diuinis assistamus laudibus; non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis & remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes, sed virili, vt dignum est, & sonitu, & affectu, voces Sancti spiritus depromentes. Idem verò grauissimus author repetit *in Psalmum 41. circa Titulum*: In finem intellectus filijs Core. Titulus (inquit) admonet filios Core, quibus dabatur Psalmus cantandus, vt intelligant quæ canunt, & auditores intelligere faciant. Quæ admonitio, Cantoribus Ecclesiasticis memoriæ commendanda est. Cantus enim in Ecclesia spiritui deseruire debet, & non soli aurium oblectationi. Et sicut qui intelligenter & deuotè canunt, animos audientium rapiunt in Deum: ita qui theatrales modulos in Ecclesiam inuehunt, de domo Dei scænam mundi faciunt. Vide S. Hieronymum in *cap: 5. ad Ephesios.* Sed hæc eadem, *in Psalmum 136.* Cantica, inquit, Sacra instituta sunt, ad mentem erigendam in Deum, & spiritum potiùs, quàm corpus recreandum. Contra autem, nonnulli sunt, qui Canticum Babyloniæ, in domum Dei & sanctam Syon inducũt; illi videlicet, qui verba sacra modulis prophanis ita vestiunt, vt qui au-

qui audiunt, non tam verba considerent, quàm prophanam modulationē attendant. Quæ Sancti & verè Spiritualis authoris verba ab omnibus considerari cupio, vt & illa quæ Iosephus Blancanus, grauissimè monuit, in explicatione locorum Mathematicorū Aristotelis. At vt breuiter concludam; Harmonia illa omnibus Catholicis, præcipuè verò Cantoribus & Musicis conuenientissima est, in qua vt Sanctissimus Thomas Aquinas, in Hymno Ecclesiæ canit: consonant corda, voces, & opera. O Tricinium Sanctissimæ Trinitati, ac toti cælesti Curiæ iucundissimum! Tertio loco ponit vetus Schola, Calendas, vt iuxta sapientis dictum: *Omnia tempora, habeant suum tempus.* Notum est omnibus, quantam sollicitudinem olim Ecclesiæ sanctissimis Pontificibus inuexerit, temporum à Sancti Concilij Niceni Canonibus deuiatio: quod Sanctissimi illi Patres, Paschalis celebrationis rationem determinauerint quidem; ne autem illa determinatio à Sede suâ dimoueretur, vt erant cælestis pietatis potiùs, quàm motuum cælestium Studiosiores, Alexandrino id Patriarchæ, in cuius Schola præstantes Mathematici, Ptolemæi Successores habebantur, commiserunt. Sed vt deprehensum est postea: Ouem lupo. Hæresis enim turbauit omnia: de qua re videantur Scriptores Ecclesiasticæ Historiæ. Nunc iam Dei benignitate omnia, ad normam Concilij Niceni, reuocata habemus. Sola crassa Græcorum Schismaticorum barbaries, & ignorantia, vel obstinata Hæreticorum malitia repugnat, ac nodum in scirpo quærit. Ac quod sæpè miror, etiam Catholicorum Græcorum, qui in sancta vnione censentur, aliqua hic repugnantia conspicitur, vt recta docentibus circa Paschalem obseruationem obsistant, non obstinatione aliqua Shismaticâ, vti opto, sed ignoratione Causarum, quibus res ista Ecclesiæ vnitati valdè proficua concluditur. Nunquam ego illos esse verè Vnitos, credam, nisi quemadmodum vnus est Deus, vna fides, vnum baptisma, vnum quoq; nobiscum Pascha confiteantur & celebrent; reliquis verò temporibus simul nobiscum laborent; simul à laboribus quiescentes Sanctorum festa & memoriam deuotè recolant: ac ne illud rudes è plebe Rutheni vsurpent: *Mnoho se Bohow narodito:* simul nobiscum Christo Domino è Virgine Sanctissimâ nato, aurum, thus & myrrham offerant. Vel isto currente anno poterant

terant:

terant aduertere, quàm aberrarint, celebratione Paschatis, in secundo Mense quadragesimo sexto post æquinoctium die. Sic iā GræcoRussis incipiunt magni procedere Menses. Quæ enormis aberratio est, ex Wladicarum & Poponum durâ obstinatione procedens: quàm nec Sol ad medium signi Tauri, vltrà iustos Paschæ limites progressus, nec Luna, testis in cœlo fidelis, vt appellatur in Psalmis: inflectere, & emollire possunt. Ecclesiasticus ait: A Luna signū diei festi, luminare quod minuitur in consummatione: illi verò quot diebus turpiter, à iustâ, & Niceni Consilij Canonibus præscriptâ consummatione digressi sunt? Da Domine vt videant! Quadraginta annis & ampliùs, istam Quæstionem versaui, vtriusq; partis argumenta diligenter considerans, non in chartis tantùm, sed in ipsâ cælestium motuum obseruatione; possum aliquid, quantum Dei gratia permittet, in gratiam Gentis Slauonicæ & Wladicarum, vel scribere, vel dicere, si modò detur celebri aliquo loco occasio, & commoditas. Ornari res ipsa negat, contenta doceri. Nam quod nonnulli Græcorum authoritate seducuntur, vereor ne quemadmodum idem est dicere, Ad Kalendas Græcas, quod nunquam; idem quoq; sit dicere Kalendarium Græcum, hoc est erroneum & nullius momenti. Notum est vetus Ciceronis de Græcis iudicium: quòd ille aliâs illi nationi addictissimus, in luce fori Romani, de toto genere Græcorum pronunciauit. Tribuo, inquit, illis literas, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, denique si qua sibi alia sumunt, non repugno: testimoniorum fidem & religionem, ista natio nunquam coluit, totiusque huiusce rei quæ sit vis, quæ authoritas, quod pondus, ignorat. Hæc grauissimus Sapientiæ & Eloquentiæ Romanæ parens, de Græcis. Fit autem vt cum in eo subiecto diuersa complicantur iuxta illud: Sunt bona, sunt mala plurima, sunt mediocria multa; bona & mediocria si pereant, mala tandem contrario sublato augeantur. Et ita factum est in illis Regionibus. Et Græcia facta est TurcoGræcia: tellus habitalis olim, nunc celebres mergis fullicisque palustribus vndæ. Artium cultura perijt, nulla eruditionis & sapientiæ, nulla scientiarum & eloquendi ratio; ac vt inquit ille, *in Latium spretis Academia migrat Athenis.* Sed obijcies:

cies:

cies: Cicero ista refert ad iudicia fori Romani. At ego dico, ad diuina quoque testimonia credibilia nimis, vt ait Dauid, referri posse conuenienter ad mentem Ciceronis; qui grauiter, hoc est Romano iudicio, Græcorum leuitatem in Homero sapientiæ Græcæ fonte notauit, primo Tusculanarum quæstionum libro: *Humana, inquit, ad diuina transferebat, diuina mallem ad nos*. Remansit ergò illa vetus leuitas Græca, quam etiam veteres Comici notarunt. Cætera, inquit, quæ volumus, Græcâ mercamur fide. At Slauinarum gentium alia conditio, alia proprietas est; inter quas simulatio scelus, & quæ solâ simplicitate & veritate, plurimis gentibus palmam præripientes, nunquam in corde, & corde loquũtur; vt vel ex ista origine, & propriâ gentis laude spes bona sit, Ruthenos à Slauinis deductos, Pascha verum nobiscum in sanctâ vnione, in azymis synceritatis & veritatis, celebraturos. Quartum est in Scholis necessarium Ius Canonum, quorum cognitio ab Apostolorum Canonibus, vsque ad nouissima post Sanctum Concilium Tridentinum tempora Clero valdè necessaria est. Ex his enim omnes controuersiæ deciduntur. Ex his & doctrina Casuum conscientiæ, quæ passim per Collegia docetur, consequenter velut ex fontibus deriuatur. Hæc etiam nil aliud sunt, quàm Sacrarum literarum & Theologiæ compendiosa, ad mentem sanctæ Ecclesiæ Catholicæ collectio. Atque hæc in Scholis tractari, ad vsum Ecclesiæ conuenit. Sic enim prodibunt Operarij multi, fideles, boni, ad messem cælestis agricolæ, æterni patrifamiliâs. At vos ô generosæ Slauinæ gentes, reuocate vobis in memoriam, qui Operarij vos fidem docuerint. An non Sancti Cyrillus & Methodius? Græci quidem fuerunt illi & Constantinopolitani; sed non illi leues, verùm Romanâ & Catholicâ constantiâ firmati. Vnde autem facultatem sumpserunt Slauonicâ linguâ Sacra celebrãdi? an non à Nicolao Primo, Pontifice Maximo, quod Ecclesiasticæ & vernaculæ nostræ, testantur Historiæ? At quemadmodum hic Cognominem suum Concilij Niceni, inter tot Sanctos Episcopos cooperatorem Sanctum Nicolaum, Myræ Episcopum, summò honore coluit, inde factum est, vt ad honorem & memoriam vtriusque, in Ecclesijs omnibus toto Septemtrione diffusis, vbicunque Slauinæ gentes dominantur, magnamque Orbis partẽ occupant, Sancti Nicolai imagines, passim conspiciantur. An ignoratis, experientissimo teste Meletio Smotricki, Caluinistarum errores, iam inter Stambolitanos Turcogræcos Patriarchas radicatos esse? Concedite illis nonnihil: dent vobis blandi isti Doctores crustula, vt illorum Elementa prima discatis, breui fiet, vt quod crudeliter in Germania, Batauia, Anglia, & Scotia fecerunt; apud vos quoque tum Sanctissimæ Dei Genitricis, quam nos vnà vobiscum *Bogárodzicam*, & *Perecistam*, à prima religionis in his Regionibus origine vocamus; tum Sancti Nicolai, Cyrilli, & Methodij, Apostolorum vestrorum, & aliorum Patronorum sanctæ & venerandæ imagines, vnà cum verâ fide eijciantur. Per Hæreses & Schismata, Græciæ imperium à Turcâ oppressum, perijt: prouidete ne per easdem Hæreses & Schismata Machometismus & Atheismus serpat & promoueatur: Olim in Græcia prouerbio dicebatur: propter puerũ, mater omnia facit; propter matrem omnia Themistocles, propter Themistoclem omnia faciunt Athenienses: Ergò propter puerum, omnia faciunt Athenienses. Prouidete ne apud vos simile aliquid consequenter concludatur. Propter Turcam omnia facit Patriarcha Constantinopolitanus; Propter Patriarcham, omnia Metropolitæ & Wladicæ; Propter Wladicas, omnia Popones, à quorum ore non dico quàm docto, quàm literis & cognitione Sacrarum Scripturarum exculto, pendetis: Ergò & vos propter Turcam omnia facietis. Sic cum vestrâ Græcâ fide; Sic vestro diuisũ Imperiũ cũ Ioue Turca tenet. Auertat Christus Dominus, messis cælestis agricola: qui vt hanc nostrã Panegyrim congregauit; ita Regiones istas, pietate quondam celebres, ab Hæreticorum colluuie, à Schismaticorum pertinaciâ, ab omni denique Machometismi & Atheismi impietate defendat & liberet: vt eidem possimus læti & alacres, portantes manipulos nostros, occurrere: cui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto, sit honor & gloria in sæcula sæculorum, AMEN.